

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9448

Auteur(s) : Raoul II de Fougères [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1162

Lieu d'émission : Fougères

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul [II] de Fougères confirme à l'abbaye de Savigny le don de Ranulf de Virey du prieuré de Virey

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

C. Caen, Musée des Beaux-Arts, coll. Mancel, 302, III, n° III, p. 181-185. Copie du XXe siècle

Éditions principales

a. MORICE Hyacinthe, Mémoires pour servir de preuves à l'histoire ecclésiastique et civile de Bretagne, tirés des archives de cette province, de celles d'Angleterre, des recueils de plusieurs sçavans Antiquaires, et mis en ordre, Paris, Imprimerie Charles Osmont, 1742-1746, 3 vol, t. 1, col. 646 (nombreuses coupures).

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, diversis episcopatus, n° III)

Texte d'après C

Ad pacis quietisque custodiam sine scissura discordie in perpetuum conservandam, ego Radulfus Filgeriarum dominus actionis cujusdam prosecutionem in presentia mea terminatam posterorum noticia per scripturam commendare curavi. Cum Radulfus et Guillelmus de Vireio fratres et uxores eorum Odelina et Isabel et Rogerius frater eorum monasterio Savigneii quasdam possessiones dedissent et alias promisissent sufficiens scilicet ex quibus integer conventus monachorum in ecclesia Sanctorum Gervasii et Protasii de Vireio secundum dispositionem et preceptum monasterii Savigneii sub priore vel abbate si fieri posset regulariter viveret missus ab abbate Savigneii conventus prius in prefata ecclesia Vireii postea in Plaisitio juxta eandem villam super Senunam aliquandiu mansit. Postea vero cum predictus Ranulfus non solum promissas possessiones non reddidisset sed jam datas in aliquo minuisset et nequaquam ipsius conventus necessitatibus quas habebat possessiones sufficerent et precipue quia instituta Cisterciensis ordinis quam Savigniense monasterium jam susceperat prohibent monachos extra abbatiam conversari visum est abbati et conventui Savigneii immo consilio sapientium virorum et auctoritate provisum salubrius atque utilius esse et eis qui elemosinas dederant et illis qui ex eis vivere debebant ut predictos monachos a Vireio ad Savigniense cenobium revocarent quatinus sub majori religionis districtione ordinem suum ibidem servarent. Facta est igitur post mortem predicti Ranulfi inter Savigniense cenobium et Paganum de Sancto

Bricio et Gervasiam uxorem suam filiam scilicet predicti Ranulfi de Vireio talis compositionis conventio quod monachi Savigneii dimidiam masuram Jualli et totam masuram de Montagon et campum de Quercufoliata et totam masuram Plaisitii cum nemore et molendino et dimidiam piscaria que omnia ex dono predicti Ranulfi ac fratrum ipsius et Flaaldi patrum ipsorum monachi habebant. Hec omnia Pagano et heredibus ejus quieta et soluta dimitterint insuper et vadimodium XL solidorum cenomannensium quod super aliam medietatem Pischarie ab Hamelino de Angulo habebant, ipse vero Paganus et Gervasia uxor et tres majores filii ipsorum qui jam discretionem et intellectum habebant Guillelmus et Guilleminus et Gaufridus deteris pro infirma etate necdum intelligere valentibus pro excambio predictarum terrarum subdimissarum juxta forestam Savigneii totam terram que vocatur Melion et totam masuram que vocatur Aurineria et campum qui vocatur Guermonisle et totam terram que vocatur masura Ancherii cum omnibus earum pertinentiis, insuper et in parrochia Maildreii terram Marigneii et totum dominium suum de Maretis Maidreii que sepedictus Ranulfus monachis Vireii habitantibus antiquitus donaverat sed postea eis iratus retraxerat et pro II acris terre de elemosina ecclesie que erant in Montagon duas acras terre de dominio suo juxta cimiterium Vireii et juxta alios aliquos ad elemosinam ecclesie pertinentes, hec omnia libera penitus et quieta et ab omni tam sibi quam dominis suis vel alieni hominum exhibendo sicut revera erant et esse debebant omnino absoluta monasterio Savigniensi et monachis ibidem Deo servientibus ad victum ipsorum propria servitium et in necessitatibus et usibus eorum propria expendenda donarent. Et si quis in predictis terris aliquid servitii vel juris reclamaret Paganus et heredes ipsius totum monachis adquietarent et quicquid Ranulfus et Guillelmus et Rogerius fratres ejus eis donaverant insuper et omnia lia que monachi Vireii commorantes serius possiderant universa ex integro victuri et usibus monachorum in Savigniensi cenobio habitantium proprie et sine reclamatione vel calumpnia deveniunt, de hiis autem possessionibus que monachis Savigneii remanerent ista propriis duxi designari vocabulis ecclesiam Sancti Gervasii et Protasii de Vireio et agros ad elemosinam ecclesie pertinentes et decimas tocius parrochie exceptis II partibus decime de lania, ecclesiam et decimas Sancti Martini de Bresceio ex integro, ecclesiam et decimam de Monte Martini ex integro, ecclesiam et decimas de Maisnil Tove, ecclesiam et decimas de Molinis ex integro, ecclesiam et decimas de Maidreio excepta tertia garbas quam habent sanctimoniales Redonenis cenobii, ecclesiam de Helduimaisnilio et terciam partem decime, ecclesiam de Goovilla et decimas exceptis XX quarterios ordeii que de decima ejusdem ville sint Exaquiense cenobium, ecclesiam quoque de Chetevilla et capellariam de Saeio ac decimas totius parrochie excepto feodo Gisleberti de la Hague et presentationem ac dispositionem capellanorum supradictarum ecclesiarum et in parrochia de Logis Landam Gefreet cum omnibus ad ipsam pertinentibus et terram que vocatur Rohardeth. Paganus vero et uxor ejus ac primogenitus filius ipsorum Guillelmus aliis supradictis concedentibus conventionem istam legitime tenendam atque conservandam affidaverunt et de supradictis possessionibus monachos heredes ipsorum quicquid spiritualium bonorum a monachis Vireii expectabant totum et eo amplius apud monasterium Savigneii integerrime possidebunt scilicet et ut Paganus vel quilibet de filiis ejus secundum ordinis insituta si vellint apud Savigneium monachi efficerentur sin autem sed in seculari habita vitam finirent eam ipse Paganus quam uxor ejus et filii in cimiterio abbacie Savigneii honorabilem sepulturam haberent et tam in vita quam in morte orationum et elemosinarum et omnium aliorum beneficiorum abbacie Savigneii tanquam speciales fratres et loci ipsius fundatores participes essent. Ego vero Radulfus Filgeriarum dominus ad cujus feodum supradicte terre inter monachos et Paganum commutate vel excambiate et quedam de supradictis ecclesiis pertinent compositionem istam concessi atque confirmavi et sigilli mei attestacione roboravi volui. Hoc autem totum consummatum et confirmatum est in presentia mea apud Filgerias anno ab Incarnatione Domini MCLXII. Teste Willelmo abbate de Filgeriis, Juhello Irveio, canonicis Guillelmo presbitero de Vireio, Fransgalo de Filgeriis, Guillelmo de Albineio, Roberto de Furgon, Gaufrido Redonensi, Petro de Castello Gilonis, Stephano de Maisnilio, Amerlandi monachis Savigneii et multis aliis.